



This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

- + *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
- + *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
- + *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
- + *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at <http://books.google.com/>



UNIVERSITEITSBIBLIOTHEEK



900000016351



B.-L. 6162

DE
GYMNASII VITRUVIANI PALAESTRA.

DISSERTATIO PHILOLOGICA

QVAM

SVMMORVM IN PHILOSOPHIA HONORVM

CONSENSV ET AVCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS

IN VNIVERSITATE FRIDERICIA GVILELMIA RHENANA

RITE IMPETRANDORVM CAVSSA

SCRIPSIT

ET

VNA CVM SENTENTIIS CONTROVERSIS

DIE XI. MENSIS MARTI CIOIOCCCLXIII

PVBLINE DEFENDET

FERDINANDVS BVESGEN

NASSOVIENSIS.

ADVERSARIORVM PARTES SVSCIPIENT

CAROLVS DILTHEY SEM. PHIL. NVP. SOD. ORD.

OTTO KORN SEM. PHIL. SEN.

HENRICVS BVBENDEY SEM. PHIL. SOD. ORD.

BONNAE

TYPIS CAROLI GEORGI.

DE

GYMNASII VITRUVIANI PALAESTRA.

Palaestram alteram e gymnasi partibus appellatam esse, Vitruviumque pro Romanorum in adhibendis graecis nominibus levitate duo illa confudisse vocabula, ut quae cunque de palaestris Graecorum tradat ille (de Archit. V, 11) ad gymnasia sint transferenda: haec quidem pro exploratis nunc haberi debent; quamquam nec Haasium, qui primus fere de variis palaestrae notionibus recte exposuit ¹), nec, qui novissimus hoc argumentum sibi sumpsit illustrandum, Petersenum ²) omnibus quae extant argumen-

1) Allgem. Encycl. v. Ersch u. Gruber Sect. III Bd. 9 p. 360 Art: Palästra, ubi quattuor esse vocis 'palaestra' significationes statuit; aut enim paedotribarum scholam significat, aut gymnasii partem, aut, quod Romanis maxime fieri consuetum, pro 'gymnasium' usurpatur, aut denique metaphorice ponitur. In eo autem errat, quod illam gymnasii palaestram ab eis tantum frequentatam fuisse putat, qui arti athleticae operam dederint. Omnibus enim, quicunque se exercere voluerint, patuisse palaestram, ex eo ipso sequitur, quod nonnisi ibi luctae et pancratii locus fuit.

2) Das Gymnasium der Griechen nach seiner baulichen Einrichtung beschrieben v. Ch. Petersen Hamburg 1858; ubi p. 5 haec habes: Vom Ringen und Laufen als den beiden wichtigsten Uebungen haben auch die beiden Hauptplätze ihren Namen, Palästra vom Ringen (*παλαστρα* von *πάλη* von *πάλλειν* schwingen) Dromos vom Lauf (*δρόμος* von *δραμεῖν* = *τρέχειν* laufen); jenes Wort kann man Ringschule, dieses Laufbahn übersetzen. Beide Wörter bedeuten ursprünglich die Uebung selbst, dann den unbedeckten Raum oder das Gebäude, in dem sie angestellt wurden. Palästra hiess vorzugsweise das Gebäude, das für die Uebungen im Ringen und Pankration errichtet wurde.

tis et testimoniis in usum vocatis rei veritatem munivisse video. Nec poterit negari, eundem Petersenum, quo nemo unquam diligentius et sagacius de Graecorum gymnasiis disputavit, in eo quoque verum vidisse quod gymnasii Vitruviani partem eam, quae prioribus duabus capitis paragraphis (verbis: 'In palaestris peristylia quadrata sive oblonga' seqq. usque ad verba: 'Extra autem disponantur porticus tres') describitur, palaestram esse declarat, exedras philosophorum quoque una cum balneis continentem; quae quidem omnino gymnasii inclusa fuisse in volgus notum est, eadem vero palaestrae potissimum adiuncta fuisse, nonnisi a Vitruvio est traditum. Attamen, cur hoc ita institutum fuerit, ex ipsa quoque gymnasiorum origine et historia intellegi potest, quod nolo pluribus nunc persequi. Cum vero in eo potissimum elaborarint adhuc Vitruvii interpretes, ut, quaenam totius aedificii fuerit forma et ratio, investigarent, qua de re summa est opinionum dissensio¹⁾), alteram interpretationis partem quae in singulorum membrorum usu exponendo et illustrando versatur, vereor ne nimis neglexerint. Verum enim vero nisi huius rei plena antecesserit et accurata notitia, non poterit de illa certi quidquam statui. Itaque cum et nominibus et rebus accuratius examinatis et cum auctorum graecorum testimoniis diligentius comparatis ad hanc quaestionem persolvendam non nihil conferre posse mihi viderer, de eis palaestrae Vitruvianae partibus agere mihi

1) Maxima nunc in eo est dubitatio, utrum interiores an exteriores fuerint porticus peristyliorum a Vitruvio memoratorum; illud usque ad Marinum omnes interpretes (nonnullorum schemata vid. in Edit. Marinii) credebant, recentiorumque Beckerus (Charicl. 2 p. 181 sqq.) et Brugsma (Specim. inaugur. contin. gymnas. ap. Graecos descriptionem Gröning. 1855), qui cum ab ovo quaestione initium repeatat, per 10 paginas de vocis γυμνάζεοφαι origine exponens, non ita multum tamen lucis universae rei attulisse videtur; exteriores eas fuisse primus Marinus statuit quem secutus est Petersenus.

proposui, quae exercitationibus proprio inservirent. Et Vitruvii de omnibus palaestrae partibus verba sunt haec¹⁾:

'Constituantur autem in tribus porticibus exedrae spatiosae habentes sedes, in quibus philosophi rhetores, reliquique η), qui studiis delectantur ϑ) sedentes disputare possint ϵ). In duplii autem portico collocentur haec membra: ephebeum χ) in medio, hoc autem est exedra amplissima cum sedibus, quae tertia parte longior sit quam lata, sub dextra coryceum λ), deinde proxime conisterium, a conisterio in versura porticus frigida lavatio, quam Graeci $\lambda\omega\tau\varphi\sigma\mu$) vocant; ad sinistrum ephebei elaeothesium ν), proxime elaeothesium ξ) tepidarium \circ), ab eoque iter in propnigeum π) in versura porticus, proxima ϵ) autem introrsum e regione frigidarii collocetur concamerata sudatio, longitudine duplex quam latitudine, quae habeat in versuris ex una parte Laconicum ad eundem modum, uti supra σ) scriptum est compositum, ex adverso Laconici caldam lavationem.'

1) Textum dedi, quallem Petersenus l. l. p. 26 exhibet, additis eiusdem viri adnotationibus criticis; de Codd. et Edd. auctoritate vid. Schneiderum (in Praef. Ed. Vitr. Lips. 1807) et Marinum (Vitr. ed. Marini Romae 1836 Vol. I), quem diligentissime apparatus criticum undique conquisiuisse constat.

η) Sulp.: rhetoresque ac reliqui. — ϑ) Sulp.: delectentur. — ϵ) Constituantur — disputare possint. Hoc enunciatum in codd. et edd. ante Hier. Mercurialem legitur initio inter 'monstrare' et 'In palaestris etc.' — χ) Sulp. et edd. priores 'Ephoebeum' — Voss. omissio 'est' dat 'exaedra'. — 'quae' ante 'tertia' om. Sulp. Fran. Guelf. Wrat. — 'parte' om. Sulp. — λ) Ita Cotton. sec. man. Guelf. 'corriceum'. Sulp. vero et Iocundus 'coriceum' edd. quaedam 'corticeum'. — μ) Sulp. Guelf. 'litron'. Cotton. 'lytron.' Wrat. 'licron'. — ν) Sulp. ephebei cleothesium.' Wrat. 'elaeoctasium'. — ξ) Sulp. 'cleothesium'. Wrat. 'alaeothesium'. — \circ) Ita monente W. A. Becker scripsi. Codd. et edd. 'frigidarium'. — π) Wrat. 'inter et propnigeum'. Sulp. 'propigneum'. Vat. I Fran. propnigeum. — ϵ) Ita Sulp. Guelf. Wrat. ceteri vero 'proxime', Voss. 'proximam'. Fran. Guelf. Wrat. 'latitudo'. Sulp. om. 'quae'. Wrat. 'haebant'. — σ) Vat. Guelf. Wrat. 'uti quam supra'. Cotton. 'utiq. supra'.

Manifestum est, exedras philosophorum, frigidam lavationem, tepidarium, propnigeum, concameratam sudationem lavantium esse; elaeothesii qui fuerit usus potest ambigi; ephebeum coryceum conisterium ab omnibus ita intelleguntur ut exercentes aliquo modo illis usi fuerint. De his igitur cum expositurus sim, a coryceo disputandi lubet initium facere.

Atque ut primum de nominis origine videamus, hoc iam dubium esse non potest, quin graecum id sit, et græcis literis *κώρυκεῖον* scribendum¹⁾. Quod vocabulum Petersenus²⁾ rectissime ita explicat, ut significet locum, ubi *κώρυκοι* extent, eodem illud modo a voce *κώρυκος* derivatum, quo e. c. *δονακεῖον*, arundinetum, ducitur a voce *δόναξ*, arundo. Cum vero *κώρυκος* omnino de sacco qualicunque possit usurpari, hoc loco idem Petersenus saccos intellegi vult, quibus athletæ cibos secum in gymnasia asportarint, coryceumque cellam quandam fuisse sibi persuasit, ubi hi sacci fuerint depositi. Verum obstant duo. Primum levioris sane momenti haec res est, quam cui in ullo gymnasio propriam cellam conditam fuisse facile credamus, ni diserta scriptorum testimonia rem ita se habuisse declararent, cum praesertim tam frequentia supersint veterum de gymnasiis et de athletarum vita testimonia. At enim Petersenus nullum, quem afferret veterem habuit scriptorem cellæ illius testem. Deinde cui non prorsus abhorre videbitur a veri similitudine, Vitruvium in descri-

1) Ita et Krausius (Gymnastik und Agistik der Hellenen I p. 103), Brugsma, Marinus, Schneiderus alii. Varia olim tentabant interpres; alii *κορυκεῖον* scribebant, puellas (*κόρας*) ibi versatas esse existimantes, alii *κουρυκεῖον*, quod idem atque *κουρεῖον*, tonstrinam significare volebant; quos refutare facile nunc possum supersedere; vid. Schneideri commentarium, Marinii illustrationes, Krausium (l. l.) et Eitnerum (de sphaeristica apud Graecos et Romanos, Vratisl. 1860 p. 16).

2) l. l. p. 37.

bendo hoc gymnasio cuius tam pauca notentur membra, ut num omnes necessariae gymnasii partes in eo extent, in dubitationem potuerit vocari, in eo, dico, saccis istam deponendis consuluisse? Quem tam leviter ipse Petersenus totam rem tractasse putat, ut antiquissimam et primariam gymnasii partem, deorum templum, quod universi aedificii centrum fuerit, memorare neglexerit. Accedit, quod *χώρυκος* minime primo loco saccum cibarium significat. Quod vero eam ob causam ab hac potissimum voce denominata esset illa saccorum cella, quia apud Homerum bis eo sensu legeretur¹⁾, nescio an iocose dixerit Petersenus. Ac ne Pollux quidem a Peterseno citatus, ubi gymnasiorum supellectilem recensens plura saccorum genera affert coryci mentionem facit. Iam videbis, parum verisimilitudinis habere eam de corycei notione sententiam; aliud vero restat, quo illam omnino falsam esse certo possit effici. Cognitum enim habemus, corycum quemdam ad gymnasia pertinere, est autem is non cibarius ille Peterseni, sed significat potius *χώρυκος* follem magnum grano ferculneo aut farina aut arena impletum atque in gymnasiis e tecto suspensum, quem exercentes varia ratione gestarent vibrantem, modo exceptum manibus repellentes, modo pectore oblato inhibentes. Itaque quos memoravi Vitruvii interpres ab hoc coryco ex luculentissimis scriptorum testimoniosis, quae infra citabo, probe noto, vocis originem repetentes, coryceum eam gymnasii partem fuisse contendunt, ubi illo exercitationem genere athletae usi sint. Quod quidem recte statuere; nam quod Petersenus hanc impugnans sententiam vocabulorum *σφαῖριστήριον* κονιστήριον ἀλειπτήριον analogiam affert, facile intelleges haud magni momenti esse. Harum enim plane diversa est ratio, cum derivata sint haec a verbo, illud a

1) Od. X, 267. IV, 213.

substantivo: verbum autem simplex, quo hoc exercendi genus significaretur, eodem modo, quo *σφαῖραις*, *κονίζεισθαι*, *ἀλείφεσθαι* formatum, non extabat. Itaque est sane, si propriam vocis notionem urges, *κωρυχεῖον* non is locus, ubi κώρυκον versabant, sed is potius, ubi κώρυκοι erant. Sed vides utrumque eodem ducere, nam ubi κώρυκοι erant suspensi, ibi coryci exercitatione utebantur; modo ita ex Peterseni argumentatione vulgarem de corycei notione sententiam corrigas, ut non unum, sed plures corycos ibi suspensos fuisse fingas, in quo nemo sane offendetur.

Hinc cum nomen acceperit coryceum, tamen non solum modo indicato athletas in eo se exercuisse putant interpretes, sed corycos illos inter pilarum genera referentes, ibidem omnia pila ludendi genera locum habuisse existimant, corycēumque igitur eandem cellam fuisse, quae alibi sphaeristerium dieeretur¹⁾. Qua in re vehementer errasse viros dd. arbitror. Näm primum quidem Graeci pilarum lusus sub divo exercuisse²⁾; Romani demum hunc in usum ocellas postea aedificasse videntur, id quod Petersenus quoque contra hanc sententiam affert. Tum vero miror admodum, non solum Vitruvii interpretes sed etiam eos, qui de ipsa Graecorum arte sphæristica data opera egerunt³⁾, eum coryci usum, quem κωρυκομάχιαν plerumque Graeci vocitant inter pila ludendi genera potuisse referre. Quodsi accuratius rem intueberis, illos conāedes nullo pacto recte fecisse. Nam et ipsum nomen κωρυκομάχια videtur refragari. Est enim duplex eorum nominum ratio, quae nata sint verbo μάχομαι cum substantivo quodam ita composito, ut totum vocabulum in μάχια exeat.

1) cf. Plin. Ep. II, 17. V, 6.

2) cf. Theophr. Char. 5. Plut. Vit. X Or. Isocr. p. 338.

3) Burette, sur la sphéristique des anciens p. 160: 'Rien ne paraît plus naturel, que de dériver ce mot, *coryceum* de κώρυκος, qui signifie une sorte de balle'. Eitner I. I. p. 37 sqq.

Aut enim ita sunt comparata, ut priore membro arma quaedam sive instrumentum significetur, quo pugnetur, cuiusmodi sunt σφαρομαχία, μαχαιρομαχία, alia, aut ita, ut adversarii praefixa sit notio, quod e. c. fit in voce Τιτανομαχία. In corycomachia autem cum adversarius nullus affuerit, in quem κωρύκῳ instrumento uti potuerit athleta hoc praesens vocabulum ad genus posterius pertineat necesse est, ita, ut corycus ipse pro adversario sit, quocum pugnetur. Cuius interpretationis veritas clarius elucebit, ubi quomodo illa exercitatio a veteribus auctoribus describatur, cognoveris. Habemus enim accuratam eius rei descriptionem ab Antyllo medico traditam (ap. Oribas. p. 124 Matth.¹), quocum conferas Philostr. fragm. de γυμναστ. p. 13 Kayser, quem utrumque locum huc apponam. Antylli verba haec sunt:

Κώρυκος ἐπὶ μὲν τῶν ὀσθενεστέρων ἔμπιπλαται κεγχραμίδων ἢ ἀλεύρων, ἐπὶ δὲ τῶν ἰσχυροτέρων ψάμμουν, τὸ δὲ μέγεθος αὐτοῦ πρός τε δύναμιν καὶ ἡλικίαν συναρμοζέσθω. κρεμάννεται δὲ ἐν τοῖς γυμνασίοις ἄπωθεν ἐξ ὀροφῆς; ἀπέκων τῆς γῆς τοσοῦτον, ὥστε τὸν πυθμένα κανὰ τὸν ὄμφαλὸν εἶναι τοῦ γυμναζομένου. τούτον διχειρίως² ἔχοντες ἀμφοτέρους αἰωροῦνται οἱ γυμναζόμενοι, τὴν μὲν πρώτην ἡσύχως, ἐπειτα σφοδρότερον, ὥστε καὶ ἐπειρβαίνειν ἀποκριότεροντι αὐτῷ καὶ πάλιν προσιύντος ὑπεικεῖν ἐξισθομένους ὑπὸ τῆς βίᾳς. τὸ δὲ τελευταῖον ἀφίσσιν αὐτὸν ἐξισθεν. τῶν χειρῶν ἀπώσαντες, ὥστε ὑποστρέψαται σφοδρότερον ἔμπιπτειν τῷ σώματι ἐκ τῆς προσελεύσεως. τὰ δὲ ὕστατα ἐπὶ πλευστον αἰτίασαντες³ αὐτὸν ἀποπέμπουσιν, ὥστε ἐκ τῆς προσόδου, εἰ μὴ σφόδρα προσέχοιεν, ἀποστρέφεσθαι, ποτὲ

1) Editionem d'Arembergianam doleo, quod non potui inspicere.

2) διὰ χειρὸς Kayser ad Philostr. 1. 1.

3) requiritur verbum, quod retractionem significet e. g. ἀνελύσαντες, id. ibid.

μὲν οὖν ταῖς χερσὶν ἀντιβαίνοντιν αὐτῷ προσιόντι, ποτὲ δὲ τῷ στέρω τὰς χεῖρας ἀναπετάσαντες, ἄλλοτε δὲ ἐπιστρέφοντες κατὰ μετάφρενον. δύναται μὲν φῶν μυῶσαι σῶμαται τόνον περιβαλεῖν καὶ ὥμοις καὶ παντὶ τῷ σώματι τρῦτο τὸ γυμνάσιον, σπλάγχνοις δὲ πᾶσι κατάλληλον¹⁾ διὰ τὰς πλεγάς.

Αριδ Philostratum legimus: Κώρυκος δὲ ἀνήφθι ρι μὲν καὶ πύκταις, πολὺ δὲ μᾶλλον τοῖς ἐπὶ τὸ παγκράτιον φοιτῶσιν. ἔστω δὲ καὶ κοῦφος μὲν ὁ πυκτικός. ἐπειδὴ καὶ φοῦ²⁾ γυμνάζονται μόναι αἱ τῶν πυκτῶν χεῖρες. ὁ δὲ τῶν παγκρατιαστῶν ἐμβριθέστερος καὶ μεῖζων, ἵνα γυμνάζαιντο μὲν τὴν βάσιν ἀνθιστάμενοι τῇ τοῦ κωρίκου ἐπιφόρῃ. γυμνάζοντο δὲ ὥμοις τε καὶ δακτύλους ἐς ἀντιπάλον τι παῖστες, ἡ κεφαλὴ ἐναραττέτω καὶ πάντα δὲ ἀθλητῆς ἵποκείσθω τοῦ παγκρατίου τὰ ὄφθαλμα. εἶδη. Θέρους δὲ οἱ μὲν ἀριθεῖσιν αὐτὸς πράττοντες ἐν ἀπαντι τῷ ἥλιῳ καὶ πάντες. οἱ δὲ ἔντες ἐπιστήμηρ καὶ λόγῳ αὐτεῖς ἀεὶ καὶ ὅπόσις λῶν, οἱ μὲν γὰρ βόρειοι τῶν ἥλιων καὶ οἱ νήρεμοι καθαροὶ τέ εἰσιν καὶ εὔειλοι, ὅτε δὴ λευκοῦ ἐκβάλλοντες τοῦ αἰθέρος, οἱ δὲ νότιοι τε καὶ ἐκνέφιοι ὑγροὶ τέ εἰσι καὶ ὑπερφαύοντες, οἵοις ἐπιψύξαι μᾶλλον τοὺς γυμναζομένους η̄ θάλψαι; et qu. sequ.

Vides hanc corycomachiam non ad aliquod lusum genus pertinere, sed exercendi rationem esse gravissimam, quae summa virium contentione transacta sit. Est ea videlicet pancratiastarum et pugilatorum exercitatio ei simillima, quam milites romani atque in primis gladiatores subibant, qui priusquam cum ipsis hominibus manus consererent, contra palum aliquem in terra defixum tanquam contra adversarium, cum oratibus et clavis ligneis velut cum gladio se exercebant et scuto, ut nunc quasi caput aut faciem

1) immo πᾶσιν ἀκατάλληλον, id. ibid.

2) 'Si verum sit καρδοῦ significabit pugiles solas manus ad dexteritatem pugnandi (ad καρδας πληγας) exercere. Sed accentus in Florent. libro omissio corruptelae suspicionem iniicit. Puto scripsisse Philostr. καρδικου. Pluribus exemplis probari potest ea verbi γυμνάζομαι constructio'. Kayser.

peterent, nunc lateribus minarentur, interdum contenderent poplites et crura succidere, accederent, recederent, assultarent, insilirent, et, quasi praesentem adversarium, sic palum omni impetu, omni bellandi arte tentarent¹⁾). Eundem in modum corycus ille athletis pro adversario erat, contra quem, ut Philostrati verbis utar, omnia pancratii genera subirent, quae erecto corpore peragerentur. Qui cum semper plagas acciperet, nunquam inferret, iocose apud Plautum Rud. 721 Trachalio lenoni minatur:

Extemplo hercle ego te follem pugillatorum

Faciam et pendentem incursabo pugnis, periurissime, similiterque Athen. 6 p. 246 f: οὐνῆ δὲ περὶ παρασίτων εἰρήκασι Τιμοκλῆς μὲν ἐν Πύκτη ἐπισιτίονς καλῶν αὐτὸν ἐν τοῖςδε

εὐρήσεις δὲ τῶν ἐπισιτίων
τούτων τινάς, οἵ δειπνοῦσιν ἐσφυδόμενοι
τάλλοτροι, ἔστιονς ἀντὶ κωρύκων δέρειν
παρέχοντες ἀθληταῖσιν.

Et teste Diogeniano 7, 54 πρὸς κώρυκον γυμνάζεσθαι in proverbium abiit, ἐπὶ τῶν διακενῆς μοχθούντων. Coryce vero exerceri Lucianus Lexiph. 5 ἀντιθάλλειν τῷ κωρύκῳ vocat²⁾. Atque ipsi veteres corycum inter pilas non trididerunt; Antyllus ap. Oribas. p. 122 Matth. ubi varia pilarum genera enumerat, corycum tacet, item Poll. 9, 104. d. I. Chrysost. in Ep. ad Hebr. 10 p. 862 hisce verbis utitur: οὐχ ὁρᾶς τοὺς ἀθλητάς, ὡς θυλάκους ἄμμου πλη-

1) Vegetii verba Instit. r. mil. I, 11. cf. Becker. Gall. 3 p. 102.

2) De eo loco Philippus (de pentathlo s. quinqu. comment. p. 78) haec habet: 'Κορυκομαχλαν ad pilam referas, v. Schneid. s. v. κώρυκος, etiamsi apte Lucianus Lex. 5 Bip. V p. 183: ἀντέβαλε τῷ κωρύκῳ dicat pro περιελάμβανε τὴν κοιλαγ τοῦ ἀντιπάλου translato ad luctam significatu'. Ecquidem quomodo hoc fieri possit non intellego, nec magis video, cur per translationem explicare malimus, quae si proprie usurpata accipientur, multo simplicius et aptius dicta sint.

ρώσαντες, οἵτως γυμνάζονται; Hippocrates, qui pluribus locis cum de aliis exercitationibus tum etiam de corycomachia agit, cum χειρονομίᾳ et ἀκροχειρίᾳ illam comparat¹⁾. Nec vero praetermittas, ubiqueunque de coryci usu agatur, nunquam vocabulum 'Iudere' usurpari, semper γυμνάζεσθαι et similia; et Aretaeus medicus (chron. morb. curat. 2, 13) habet: 'γυμνάσια δρόμοι καὶ κωρυκοβολίαι.' Quae omnia ubi mente collegeris, haud dubium fore arbitror, quin nullo prorsus iure corycus inter pilarum genera ab artis sphaeristicae auctoribus adhuc numeratus sit²⁾ quippe qui pertineat non ad sphaeristicam sed ad pancratiasticam³⁾. Itaque et coryceum pancratiastis erit

1) de diaeta 2 p. 701 Kühn: Ἀκροχειρή ισχανει καὶ τὰς σάρκας ἔλκει ἄγω, καὶ κωρυκομαχή καὶ χειρονομή τὰ παραπλήσια διαπρήσσεται. Ibid. p. 727: τοῖσι δὲ δρόμοις (scil. χρέεσθαι) τοῖσι μὲν πλειστοῖσι καμπτοῖσιν ἐν ἁματίῳ γυμνοῖσι δὲ τοῖσι διαιλοῖσι καὶ τοῖσι τροχοῖσι, τρέψει δὲ καὶ πάλῃ ὀλίγῃ, ἀκροσχειρίσμοισι, ἀκροχειροῖς πλὴν κωρυκομαχή ἔνμφερότερον. Ibid. p. 782: γυμναστοῖσι δὲ τροχοῖσι ὀξεῖσιν (scil. χρήσθω) ἀλλὰ τρέψις μὴ πολλῇ προσαγέσθω ἀλλ’ ὀλίγη μηδὲ πάλῃ ἀκροχειροῖσι καὶ χειρονομῇ καὶ κωρυκομαχή καὶ ἀλιγθῆσις ἐπιτήδεια ἀλλὰ μὴ πολλή. Vid. de 'χειρονομίᾳ et ἀκροχειρίσμοις' Krausium l. l. p. 421 et 519.

2) Ita et Krausius sentire videtur l. l. p. 309: 'Mercurial. art. gymn. II, 4, 84 gibt μεγάλην σφαιραν, μικρὰν σφαιραν, κενὴν σφαιραν und κώρυκον an, indem er fälschlich den κώρυκος zum Ballspiel rechnet, da ihn doch Antyllos bei Orib. VI, 33 genau davon geschieden hat, wie auch Galenus und Paullus Aegin.' Idem tamen ibid. p. 103: Also war diese Uebung von dem Ballspiel verschieden 'und nur insofern demselben ähnlich, als der fortgestossene und wieder zurückgehende Sack gleichsam wie ein Ball aufgefangen wurde' et mox p. 104: . . oder, was zuverlässig das Richtigere ist, dass der Name Coryceum das Sphaeristerium bezeichne, und der Korykos vielleicht an einem Orte angebracht war, wo er die Ballspieler nicht störte.

3) Hęc postquam scripsi, admonet me O. Iahnus corycomachiae in cista Ficoronica representatae: quam rem a Braunio agni-

reddendum, nec amplius cum sphaeristerio confundendum. Restat tamen aliqua dubitatio, num in coryceo constituendo hoc unum Vitruvius spectaverit ut ea sola ibi uterentur exercitatione, quae quam parvi momenti sit, et ex ipsa re accurate perspecta, et ex eo potest colligi, quod rara tantum cius fit mentio. Quae quomodo tollenda sit difficultas, ex Luciani dialogo discimus, qui Anacharsis sive de gymnasio inscribitur. Ac videntur illo parum adhuc usi esse rei gymnasticae auctores quippe qui accuratius examinatus, mea quidem sententia totam hanc de palaestrae partibus quaestionem clara luce perfundat.

Notum est Lucianum Solonem ibi cum Anacharside in ipso Lyceo de Graecorum arte gymnastica facere disserentem. Describit Anacharsis § 1—3 suo more, quas ibi fieri videt exercitationes: 1. Ταῦτα δὲ ὑμῖν, ὡς Σόλων, τίνος ἔνεκα οἱ νέοι ποιοῦσιν; οἱ μὲν αὐτῶν περιπλεκόμενοι ἀλλήλους ὑποσκελίζουσιν, οἱ δὲ ἄγχοντι καὶ λυγίζουσι καὶ ἐν τῷ πηλῷ συναναψύρονται πιλικδούμενοι ὥσπερ σύες· καίποι πάτερ ἀφρᾶς εὐθὺς ἀποδισάμενοι — ἐώρων γάρ — λίπα το ήλείψαντο καὶ πατέψησε μάλα εἰσηρηκίως ἀτερος τὸν ἕτερον ἐν τῷ μέρει, μετὰ δὲ οὐκ οἴδ' ὅτι παθόντες ὠθοῦσι τε ἀλλήλους συννενεκότες καὶ τὰ μέτωπα συναράττονται ὥσπερ οἱ πρεοί· καὶ ἦν ἴδον ἀράμενος ἐκεινοί τὸν ἕτερον ἐκ τοῖν σκελοῖν ἀφῆκεν εἰς τὸ ἔδαφος, εἰτ' ἐπικαταπτεσῶν ἀνακύπτειν οὐκ ἐξ συνωθῶν πάτω ἐξ τὸν πηλὸν, τέλος δὲ 2. ἕτεροι δὲ ἐν τῷ αὐθρίῳ τῆς αὐλῆς τὸ αὐτὸ τοῦτο δρῶσιν, οὐκ ἐν πηλῷ οὔτοι γε, ἀλλὰ ψάμμιον ταύτην βαθεῖσται ὑποβαλλόμενοι ἐν τῷ ὁρίγματι πάττοντι τε ἀλλήλους καὶ αὐτοὶ ἐκόντες ἐπαμῶνται τὴν ιόντιν ἀλεκτρυόνων δίκην, ὡς ἀφυκτότεροι εἶναι ἐν ταῖς συμπλοκαῖς, οἷμα, τῆς ψάμμου τὸν ὅλισθον ἀφαιρούσης καὶ βεβαιούσθεν ἐν ξηρῷ παρεχούσης τὴν ἀντίληψιν. 3. οἱ δὲ ὁρθοστάδην κεκομένοι παὶ

tam doctissime illustravit Iahnus »Die Ficoroni'sche Cista p. 26; cf. et Osannus« Archaeolog. Ztg. X p. 447.

αὐτοὶ παιονσιν ἀλλήλους προεπεσάντες καὶ λακτίζοντιν· οὐτοις γοῦν καὶ τοὺς ὀδόντας ἔσικεν ἀποπτύσειν ὁ πακοδαίμων, οὗτως αἴματος αὐτῷ καὶ ψάμμιον ἀναπέπλησται τὸ στόμα, πὺξ, ὡς ὄφες, παταχθέντος ἐς τὴν γνάθον. Quae quibus nominibus appellantur, Solon §. 8 hisce verbis docet: Τῶν γυμνασμάτων δὲ τούτων τὸ μὲν ἐν τῷ πηλῷ ἐκεῖνο πάλη καλεῖται, οἱ δὲ ἐν τῇ κόνει παλαίοντι καὶ αὐτοὶ, τὸ δὲ παίειν ἀλλήλους ὀρθοστάδην παγκρατιάζειν λέγομεν. καὶ ἄλλα δὲ ἡμῖν ἔστι γυμνάσια τοιαῦτα πυγῆς καὶ δίσκου καὶ τοῦ ὑπεράλλεσθαι. Quodsi nunc animo reputas, Lucianum haud dubie hanc dialogi scenam non ex ingenio prorsus fictam proponere, sed de diversis locis et exercitationibus ita agere, ut, quales revera fuerint, tales ante oculos ponat legentibus, qui totum hoc argumentum penitus cognitum habebant, non, puto negabis, Solonem et Anacharsidem in Lycei palaestram a Luciano introduci, si quidem, ut supra proposuimus, palaestra ea nuncupabatur gymnasii pars, ubi lucta et pancratium exercebantur. Vides vero eam ipsam Lycei partem, quam illi prospectant, fuisse bipartitam. Etenim vario in solo sive stantes sive ad terram projecti athletae ibi certant, alteri ἐν πηλῷ alteri ἐν κόνει. Hinc duplicem esse rationem omnium earum exercitationem ab initio statim Anacharsis animadvertisit, idemque saepius et a Solone pronuntiatur¹⁾; de qua re, quoad quidem ad luctam pertinet, Philippus (l. l. p. 70) hunc in modum disputat: „Duplicem autem luctantium certationem fuisse reperimus. Aut enim is viator habebatur, qui adversarium vel robore vel dexteritate, immo etiam supplantatione aliave palaestra prostravisset; ter repetito certamine, ne casui vel infortunio locus daretur (ὅρθοπάλη Luc. Lex. 5. ὥρθη πάλη Plat. Legg. 7, 795, d). Aut ita inter se certabant, ut stantes aliquamdiu luctarentur, donec alteruter sive viribus inferior, sive ipsius artificio decidisset, deinde iam ad terram projecti volutarentur

1) §. 8. 16. 18. 28. 29.

(ἀλίνθησις) et decertarent, usque dum unus vel alter se victum confiteretur. Quae duo genera eximie describit Lucianus (Anceh. init. et § 8) alterum dicens ἐν τῇ κόνει alterum ἐν τῷ πηλῷ. Et Philostr. de gymn. p. 12 Kayser: πάλη δὲ καὶ παγκράτιον ὁρθοὶ μὲν καὶ οἵδε, ὀλλὰ ἀνάγκη κυλίεσθαι. κυλίεσθων μέν. Atque eos, qui ἐν κόνει se exercent, sub divo certare, aperte dicit Anacharsis § 2; alteros sub tecto fuisse, ex ipsa hac ratione, qua illis opponuntur, consequitur, idemque § 16 confirmatur, ubi a Solone discernuntur αἱ συνεχεῖς ἐν τῷ πηλῷ κυνιστήσεις καὶ αἱ ἐπαγγεῖλαι. Habemus igitur duas palaestrae partes ibi descriptae, alteram arena repletam hypaethram, alteram tectam luteo instructam solo, quam exedram vocare licebit, quoniam non muro sed columnis ab altera seiuncta erat, ita ut hanc ex illa libere posses spectare. Eas vero necessarias esse cuiusvis palaestrae partes ex Plutarcho etiam colligas, qui tria ad palaestram pertinere dicit, κόνιν πηλόν κήρωμα¹), quorum priora quidem duo locis separari necesse erat, cum olei inunctio utriusque usum praecederet, et in utraque parte et posset fieri et fieret re vera.

Quod vero de eis, qui ἐν κόνει certant, Anacharsis narrat: αὐτοὶ ἔκόντες ἐπαμῶνται τὴν κόνιν ἀλεκτρούνων δίκην²), idem vulgo Graeci uno vocabulo, κονίζεσθαι, pulvere conspergi comprehendere solent. Relegas nunc, quiaeso Vitruvii verba: ‘sub dextra coryceum deinde proxime conisterium’. Iam apparet κονιστήριον a κονίζεσθαι derivatum esse, sicut e. c. σφαιριστήριον a σφαιρίζεσθαι, itaque κονιστήριον locum quemdam significare debet, ubi κονίζεται. Quod omnes adhuc ita interpretati sunt, ut conisterium

1) Quaest. Symp. 2, 528: κεκλῆσθαι γὰρ ἀπὸ τῆς πάλης τὰς παλιστρας, οὐχ ὅτι πρεσβύτατόν ἔστι τῶν ἄλλων, ἀλλ' ὅτι μόνον τῶν τῆς ἀγωνίας εἰδῶν πηλοῦ καὶ κονιστρας καὶ κηρώματος τυγχάνει δεόμενον.

2) ibid. § 6: ἐπιπάττοντι τὴν κόνιν.

cellam quandam fuisse dicant, ubi pulvis palaestricus fuerit repositus, sive ut Marinius eam vocat, pulveris apothecam; et alii quidem, quotiens opus illo esset, e conisterio pulverem in ipsa exercendi loca transvectum esse censem, alii primitivam spectantes vocabuli vim, athletas priusquam in ipsam palaestram introirent, in ea cella pulvere conspersos esse volunt¹⁾). Sed discimus ex Anacharsidis verbis supra allatis, eodem loco eos pulvere esse aspersos, quo et exercitationes susciperent. Quod quominus ubique factum esse credamus, nihil extat impedimenti; nam ne unum quidem veteris alicuius auctoris testimonium, quod contra valeat, nec ipse reperire potui nec ab alio allatum video. Quid igitur plus habebit speciosae probabilitatis, quam conisterium Vitruvianum ipsum esse locum illum a Luciano insigniter descriptum, ubi athletae *ἐν κόνει* certaverint? Cum enim Vitruvius nihil omnino de conisterii constructione praecipiat, nisi ut contiguum coryceo constituantur, hypaethram illud aulam fuisse fingere licet. Accedunt alia scriptorum testimonia, quae idem videantur declarare. Apud Lucian. Amor. 45 legimus: εἰδ' αἱ λιπαροὶ παλαιστραι καὶ πρὸς ἡλίου μεσημβρινὸν θάλπος ἐγκρύπται τὸ σῶμα πυκνούμενον. Xenoph. Conviv. 3, 8: Άλλὰ γῆν πολλῆν κέκτησα; Ἰσως δὲ ἔφη Λευτολύκω τούτῳ ἴανη γένοιτο ἐγκρίσασθαι. Theophr. Char. 5 habet: αἱ λιπιδιοὶ παλαιστρικὸν κόνιν ἔχον, quibus iam Casaubonus conisterii periphrasin contineri pervidit; atque in aperto est, quanta similitudo inter hanc Theophrasti et Luciani illam conisterii descriptionem intercedat. Eodem tendit conspiratio Suidae v. *Κονιστρα*: Οὐδὲ αἱ κονιστρας εἰς τὸ φύψαι τοὺς πόνους. κονιστρα, παλαιστρα ἡ κυλίστρα. Poll. 3, 154: τὰ δὲ χωρία τῆς ἀσκήσεως ἀποδυτήριον, γυμνάσιον, παλαιστρα,

1) Brugsma l. l. p. 55 ‘*Κονιστήριον* a *Κόνις*, locus in gymnasio sub dextro corycei, ubi pulvere post unctionem aspergebantur lactaturi. Perrault et de Bioul: *magasin de la poussière*’.

κονιστρα. et Lycophr. 866: *Ιεμινάδος κακοξένους πάλης κονιστρας*, quibus addas, quae Eustath. p. 382 habet: *Ἄλινδήθρα ἡ πατὰ πάλην κονιστρα.* Apparet enim, vocabulum *κονιστραν* idem significare, quod *κονιστήριον*; eodem modo pro vulgari forma *σφαιριστήριον*, alia circumferebatur eiusdem prorsus significatus, *σφαιριστρα*, licet minus haec usitata fuerit¹⁾). Nullis autem argumentis nititur Peterseni hac de re sententia. Qui cum Luciane illa verba cum tralaticia conisterii interpretatione non satis coire intellegat, ita differre iudicat *κονιστήριον* et *κονιστραν*, ut illud pulveris apotheca, haec hypaethrus exercendi sit locus. Quem etsi pluribus refutare supersedeo, cum et certa ille testimonia afferre nequeat, et eis, quibus meam modo sententiam conprobavi, illi quoque satisfactum esse existimem, id tamen velim consideres, quomodo primarium hunc errorum alii statim subsequantur. Nam cum eius conistrae nullam Vitruvius mentionem iniecerit, oblivionis et socordiae eum arguit Petersenus, novumque membrum suopte ingenio gymnasio Vitruviano agglutinat; et quia in ipsa palaestra nullum conistrae satis aptum locum sibi videbatur repperisse, eam in altera totius gymnasii parte collocat, quam ut aulam hypaethram muris inclusam palaestram cinxisse vult. Quo factum est, ut in gymnasio Peterseniano duplarem videamus palaestram, alteram intra palaestram, alteram extra palaestram.

Iam vero eo disputationis pervenimus, ut, quo nomine alteram palaestrae Lucianeae partem, luteam illam, significaverit Vitruvius quaeratur. Atque ut huc referendum esse coryceum Vitruianum persuasum habeam, tria potissimum me movent; primum quod contiguum est coryceum conisterio, tum, quod tectum fuisse coryceum apparet, cum e tecto suspensi essent coryci, denique, quod gravissimum est, quod et ipsam corycomachiam inter pancratii genera

1) cf. Plut. Vit. X Or. Isocr. p. 338.

referendam esse vidimus. Itaque sic rem tibi fingas: in altera palaestrae parte, cuius luteum erat solum, cum alia pancratii genera, tum corycomachia exercebatur, e tecto suspensis corycīs, a quibus tota deinde pars nomen accepit corycei, quod ita factum esse eo est veri similis, quia verbum aliquod a πηλός derivatum, ut κονίζειν a κόνις, quod quo potissimum discrimine corycei exercitationes ab eis conisterii different rite significaret, in promptu non erat. Nec video, qualia argumenta contra hanc sententiam affери queant, quam si amplecteris, et dubitatio illa de corycei notione, quam supra indicavimus, tollitur, et Vitruviana palaestra cum Luciani descriptione miro modo convenit; in una tantum re potest offendī levi illa quidem nec admodum molesta. Dicat enim fortasse quispiam: At enim, ut in altera palaestrae Lucianeae parte et corycos fuisse suspensos credere oporteat, cur hanc exercitationem non memoravit Anacharsis? Sed primum, Lucianus non ut scriptor rei antiquariae omnes artis gymnasticae partes pertractare et exponere studet, sed ut rhetor generatim tantum atque universe quantam utilitatem hominum et corpora et animi ex his exercitationibus capiant, demonstrare vult, totius elogium artis, non institutiones enarrat. Quare satis habere poterat gravissimarum exercitationum alias descripsisse, alias commemorasse. Deinde ne conveniret quidem satis cum totius dialogi ratione corycomachiae mentio. Etenim cum sermonis initium inde faciant illi, quod admiratione quasi obstupescat Scytha ea spectans, quae a Graecorum iuvenibus transigantur, non id quidem Anacharsi praeter expectationem accidit, quod omnino illos corpora videt exercentes — quod cur facerent, facile erat intellectu — sed hoc maxime ei mirum, quam patientes sint iuvenes dolorum preferendorum, qui plagis innumeris inflatis, ad terram prostrati, ipsis ossibus interdum fractis, minime adversariis succenseant nec ulcisci studeant. Quod vides in corycomachia non posse conspici, ut quae nihil periculi

creet certanti vel doloris. Quare eam hoc loco describere vel alienum erat auctoris argumento.

In coryceo igitur et conisterio, quae ad palaestram pertinebant exercitationes, lucta et pancratium agebantur; iam vero quem tertii illius membra, cui ephebeo nomen indidit Vitruvius, usum fuisse dicemus? Nomen ipsum, si nostrum locum excipias, non nisi semel nunc¹⁾ legitur, apud Strab. V, 4, 7 p. 226: πλεῖστα δὲ ἔχνη τῆς Ἑλληνικῆς ἀγωγῆς ἐνταῦθα (de Neapoli loquitur) σώζεται, γυμνάσια τε καὶ ἐφηβεῖα καὶ φρατρίαι καὶ ὄνόματα Ἑλληνικὰ καίπερ ὄντων Ρωμαίων. Nec vero — ut genuina sit lectio, de quo summo mihi quidem iure dubitare videntur viri dd.²⁾ — de notione inde certi quidquam elucet, nisi quod ibi quoque cum γυμνάσια comparatur. Significat autem ἐφηβεῖον, si vocis originem spectas, locum quemdam, ubi ephebi versantur³⁾, quod plerique ita interpretati sunt, ut in ephebeo dicant ephebos se exercuisse. Iam vero duplex iniri potest ratio, quippe cum notum sit, gymnasia esse frequentata non solis ephebis, sed omnis omnino aetatis hominibus, eisque in primis, qui artem profiterentur athleticam⁴⁾.

1) Schneiderus in Comment. ex Paus. III, 14, 9 haec affert: θύουσι πρὸ τῆς μάχης ἐν τῷ Ἐφηβείῳ τὸ δὲ Ἐφηβεῖόν ἐστιν ἐκτὸς τῆς πόλεως, Θεραπνῆς οὐ πολὺ ἀφεστηκός. Sed omnes edd. nunc iure consentiunt, ibi Φοιβεῖον scriendum esse. Cum Codd. auctoritate haec lectio confirmatur, tum veram eam esse docet Herodoti (VI, 61) cum Livio (XXXIV, 38) consensus.

2) Rectissime enim Petersenus p. 35 de significatu vocis illic positae, qualem rerum et verborum contextus desiderare videatur: Doch scheint es in der einzigen Stelle, in der es sonst nachgewiesen ist, die Abtheilungen der Jünglinge fürs Gymnasium zu bedeuten. Sed vocem ἐφηβεῖον ita interpretari linguae leges nos vetant. Quare malim ἐφηβεῖα scribere cum Tyrwhitto, qui Anthol. Pal. VII, 467. Artem. I, 56. Maccab. II, 4, 9 conferre iubet.

3) cf. γυναικεῖον, πτωχεῖον.

4) cf. C. F. Hermann, Gr. Privat-Alt. § 36. Becker. Char. 2, 191 et innumeros scriptorum locos, qui viros in gymnasiis se exercuisse

Quare aut omnes in ephebeum se conferebant, qui in luctam et pancratium erant incubituri, nec nisi a potiore, ut dicere solent, facta est denominatio, cum et multitudine reliquos ephebi superarent plurimumque temporis in palaestrae studia conferrent¹⁾. Hanc sententiam Petersenus secutus esse videtur, quamquam, num de hac re accuratius cogitarit, aliquam dubitationem possunt excitare, quae dicit p. 35: 'Dass das Wort Ephebeum den Hauptübungssaal bezeichnete, und von den dort sich übenden Jünglingen den Namen hatte, kann nicht zweifelhaft sein.' Sed duos palaestrae partes luctatoribus et pancratiastis conditas fuisse docent auctorum Luciani in primis illa testimonia, quae exercitationes ἐν κόρει factas ab eis discernunt, quae ἐν πηλῷ fiebant; et huic usui coryceum conisteriumque inservisse nobis videmur perspexisse. Aut reapse solis ephebis concessum erat ephebeum, interdictum viris, qui dum luctarentur et pancratio certarent, in coryceo et conisterio versarentur. Et hoc primo quidem aspectu maiorem veritatis speciem prae se fert. Sed primum, quo denique auctore constat, in gymnasiis ephebos a senioribus hunc in modum fuisse seiunctos? Quod ut vulgo factum esse quidquam indicio sit, tantum abest, ut antiquissimi tantummodo Eleorum gymnasii hoc proprium fuisse referat Pausanias VI, 23, quod ibi praeter palaestram et xystum²⁾ tertia quoque gymnasii pars extit, quam solis ephebis frequentare liceret. Nec tamen ea utebantur, nisi sub certaminum Olympiorum tempus, cum multi undique ath-

testantur; et in palaestra athletas quoque certasse diserte traditum est e. c. ap. Luc. Mort. Dial. 10, 5. Athen. 10, 4, 416, 7.

1) Iuvenum in primis causa gymnasia omnino exstrui solebant cf. Plut. Timol. 39; Paus. II, 10, 6. VII, 27, 2. Cf. C. F. Hermann, Gr. Priv. Alterth. 35, 13.

2) Hoc enim nomine altera gymnasii pars ibi appellabatur, quae curricula continebat.

letae ibi convenirent, quos priusquam ad certamen admitterentur, aliquamdiu ibi exerceri moris erat¹); quod dum fieret, tot peregrinis viris in gymnasio versantibus, et spatii angustiis subveniendum et favenum probitati atque castitati consulendum esse Eleis videbatur adiecta illa, *Μαλθώ*. Deinde ephebis pariter atque athletis duo exercendi loca debebant designari, nisi eos aut semper ἐν πόλει et sub divo, aut semper ἐν πηλῷ et sub tecto luctatos esse ponas. Denique fuerunt quidem, qui ab eis profecti, quiae Vitruvius l. l. § 4 de xysto dicit: 'Haec autem porticus ξυρός apud Graecos vocatur, quod athletae per hiberna tempora in tectis stadiis exercentur,' epheborum ephebeum, xystum athletarum fuisse contenderent²). Concedamus igitur vocem 'athletas' apud Vitruvium, de eis solis accipi posse, qui artem athleticam prefererentur, quamquam scriptoris consuetudinem et ipsum loci contextum reputanti multo verisimilius videri debet, eam quicunque in gymnasiis exercitationibus operam darent, ipsosque in his ephebos, hoc nomine esse complexum. At abunde tamen haec sententia eo refutatur, quod qui eam sequitur, idem athletis proprie dictis palaestram omnino praeclusam fuisse, ephebos solam palaestram frequentasse censeat necesse est. Etenim xystus ille non ad palaestram sed ad alteram gymnasiī partem pertinet. Quae cum ita sint nullo argumento probabilis cognoscitur opinio, in ephebo exercitationes esse factas.

Eandem tamen opinionem etiam alia ratione confirmare conatus est Petersenus. Discimus ex nonnullis auctorum locis infra citandis, ἀροδυτήρων quoque inter gymnasiī partes fuisse. Cuius cum Vitruvius mentionem non faciat,

1) cf. Paus. l. l. Philostr. V Ap. 5, 43, 227: *Ηλείοι τοὺς ἀθλητές, ἐπειδὴν ἵκε Ολύμπια, γυμνάσονται, ὑμερῶν τριάκοντα ἐν ἀυτῇ τῇ Ηλείᾳ.*

2) cf. Krausium l. l. p. 126 sqq.

interpretum alii alio id nomine ab eo notari censem¹⁾; in eo omnes consentientes, quod ἀποδυτήριον quandam dicant cellam fuisse, ubi vestes exercentium exutae sint ac depositae. Quia in quaestione Petersenus primus novam ingressus est viam. Etenim cum ἀποδύνωται ea procul dubio aedificii sit pars, ubi ἀποδύνονται; ἀποδύεσθαι translate ille sensu vult intellegi ita, ut pro ‘γυμνάζεσθαι’ positum exercendi habeat notionem. Ἀποδυτήριον igitur primariam illam palaestrae partem fuisse censem, ubi exercitationes factae sint; eandemque a Vitruvio ephebeum dici. Sed cum omnia argumenta, quibus in ephebeo non certasse ephebos demonstrare modo conatus sum, eadem huic refragantur sententiae: tum illa nominis explicatio, nullo modo defendi posse mihi videtur. Primum enim latius patet huius nominis notio, quam quod de aliqua parte palaestrae commode accipi possit; plane idem significaret illud ἀποδυτήριον, quod et γυμνάσιον, id quod Petersenus ipse notavit. Quis autem partem aliquam aedificii proprio quodam nomine indicaturus eo vocabulo utetur, quod totū aedificio non minus conveniat? Possis quidem dicere: non ea nominis ἀποδυτήριον ratio est, ut a toto gymnasio illud discernendum sit, sed ut ab aliis palaestrae partibus ea discernatur pars ubi exercitationes fiant. Sed duas tales partes fuisse vidimus, coryceum et conisterium; utrum igitur potissimum eo nomine appellatum esse dicemus? et cur alteri tantum id nomen inditum est; cum in utroque iuvenes exerciti sint? Deinde vehementer dubitandum est, num ἀποδύεσθαι idem prorsus possit significare, quod γυμνάζεσθαι. Nonnunquam quidem ἀποδύεσθαι nullo etiam verbo adiecto, cui exercendi notio insit, de eis interpretandum est, qui se exercitaturi vestes exuunt²⁾; sed in eo

1) Vid. de iis Krausium l. l. p. 102 sqq. et Schneideri Marinique commentar.

2) Aristoph. Acharn. 627: διλλ' ἀποδύντες τοὺς ἀπαταλότος εἰπε-

semper a verbo γυμνάζεσθαι magnopere differt, quod nunquam reperitur usurpatum de exercitatione ipsa; sed ea semper spectat, quae exercitationem antecedant atque parent. Itaque saepius metaphorice ponitur¹⁾ pro: 'parare se', sive ut Romani aliter rem fingentes dicere solent, 'accingi'²⁾. Accedit denique quod scimus, balnei cellam eam, ubi lavantium vestes ponabantur, apodyterium vocatam esse, teste Isidoro Origg. XV, 2, 41: 'Apodyterium ubi lavantium vestimenta ponuntur, ab exuendo scilicet dicitur; ἀποδύειν enim Graece exuere dicitur'³⁾. Quem et palaestrici simul apodyterii usum fuisse iam pervides negari vix posse, nisi clara scriptorum testimonia aliter rem se habuisse ostendant.

Quae quidem Petersenus afferre non potuit, qui comprobari tantum sententiam suam Platonis nonnullis locis putat, ubi in apodyterio Socratem disputationes instituisse narratur; Lys. 3 p. 206, e sqq.⁴⁾, Euthydem. 2 p. 272 sqq. μεν. Lysistr. 615: ἀλλ' ἐπαποδυώμεθ', ἄνδρες, τοιτωῦ τῷ πράγματι. Ael. V. Η. Π, 30: τελέως τὸ γράφειν τραγῳδίαν ἀπέρριψε, καὶ ἀπεδύσατο ἐπὶ φιλοσοφίαν. (cf. Eustath. ad Hom. Π. Σ, 393). XII, 1: πρὸς τὸν πότον ὡς πρὸς ἀντίπαλον ἀποδύμενοι. Julian. or. I init. ἐς θεατρὰ πεντοδακτὰ οὐ τολμῶν ἀποδύεσθαι. Alia vid. ap. Perizonium ad Ael. l. l. et in Stephan. Thes. v. ἀποδύεσθαι.

1) cf. Athen. I, 12. Xenoph. Conviv. 2, 18. Petersenus citat Timoth. ap. Athen. VI, 243.c: πειρώμεθ' ἀποδύντ' ἐς τὸ δεῖπνον ἀπιέναι; ibi vero melius nunc Meinekius: ὑποδύντ' exhibet.

2) cf. Perizonium l. l. Steph. Thes. v. ἀποδύεσθαι: 'Suscipio, Aggredior, Instituo agere, Accingor.' Schol. Aristoph. Lysistr. l. l.: Ἐπαποδύθωμεθ': Άντι τοῦ ἐπιχειρήσωμεν. Id. ad Ach. l. l.: Άλλ' ἀποδύντες: Άπὸ μεταφορᾶς τῶν ἀποδυομένων ἀθλητῶν οἱ ἀποδύονται τὴν ἔξωθεν στολὴν ήνα εὐτόνως χρείνωσι καὶ εὐστροφώτεροι σι πρὸς τὰ πάθεα ματα.

3) cf. Cic. ad Quint. fr. III, 1. 2. Plin. Ep. V, 8.

4) Summo iure hic quoque locus afferri potest, quamquam non de gymnasii parte sed de paedotribae alicuius palaestra agitur; simillimam enim talem gymnasii palaestrae fuisse et nomen docet et ipsa res, quod tamen pluribus exponere non est huius loci.

quibus addas Charm. 1 p. 153, & sqq. !) Sed magnopere vereor, ne illa ipsa verba contra Peterseni potius rationem pugnant. Summa enim argumentationis Peterseniana hisce continetur verbis p. 35: Es ist also das Apodyterion der Hauptaum des Gebäudes, in welches man unmittelbar vom Hofe eintrat und wo sich alle aufhalten, die es nicht vorziehen im Freien zu spielen.... Es ist auch gar kein Grund, anzunehmen, dass die mit Astragalen spielenden Knaben sich in ein Nebengemach, wie eine besondere Garderobe sein müsste, zurückgezogen haben sollten und ebensowenig, warum eine solche so geräumig und mit Sitzen versehen sein sollte. Es ist ganz offenbar, dass wir es mit einem verhältnissmässig grossen Raum zu thun haben. e. q. s. Accuratus nunc, quaeſo, perlegas Platonis l. l., invenies ibi iuvenes vel pueros intrantes, exeuntes, ambulantes, inter se confabulantes, ludentes: nihil prorsus de exercentibus proditur. Et quis facile sibi persuadebit, Socratem eo loco de summis causis graviter disputasse, ubi alii luctarentur, sive pancratiam peragerent, alii certantes circumstarent, excitarent, victores acclamando plaudendo salutarent? ²⁾ Nonne centies idem illi accidisset, quod Anacharsi et Soloni a Luciano introductis, qui ut disserere possint altero alterius verba exaudiente, recedere coguntur ab exercendi loco ($\omega\varsigma \mu\eta \acute{\epsilon} \nu o \chi \lambda o \iota \epsilon r \eta \mu \iota \nu \acute{o}$ $\acute{\epsilon} \pi \iota \kappa \epsilon \kappa \rho \alpha \gamma \acute{o} t e s \tau o i s \pi \alpha \lambda \acute{a} i o v o s i v$)? Videtur autem error inde mihi manasse, quod Petersenus, si quidem vestimentorum $\acute{\alpha} \pi o \delta i t \acute{a} r \acute{e} i o v$ sit intelligendum, non nisi de parvula aliqua cella cogitari posse senseret. Quod si missum feceris,

1) Ingeniose enim Petersenus l. l. de apodyterio in Euthyd. memorato: Es ist ohne Zweifel derselbe Raum der Palästra und des Gymnasiums, in dem Socrates steh gewöhnlich zu unterhalten pflegte, wo es nicht genauer bezeichnet wird wie Charm. 1 p. 153.

2) cf. Dio Chrysost. Or. 28.

3) Luc. Anach. 16.

omnia bene inter se conciliari posse puto. Etenim Graeci non solum exercendi vel lavandi causa gymnaasia frequen- tabant, sed permagna hominum multitudo quotidie ibi con- venire solebat, ut ludendo, confabulando ambulando refi- derentur et recrearentur¹⁾. Atque erant etiam, qui in gymnasii coenarent, quin plures ibi communem nonnun- quam instituebant coenam²⁾, quod inter ipsos luctantes factum esse nemo facile mihi persuadebit. Et deis quoque sacra ibi fiebant, eisque imprimis, quibus totum aedificium esset dedicatum³⁾). Quid vero si hisce omnibus apodyte- riū id, ubi vestes exuerentur, aptissimum dico praebuisse locum? quippe quod solum ex omnibus palaestrae partibus nec olei pulveris lutis sordibus inquinatum et a certantium multitudine ac strepitu vacuum esset? Hinc intelligimus, cur amplissimi id fuerit spatii, hinc, cur sedibus exornata; hinc cur Socrati ibi potissimum disputationes suas placuerit instituere. Erat igitur palaestrae apodyterium non magis vestibus athletarum ponendis⁴⁾, unde nomen accepit, quam ludis sermonibusque instituendis destinatum. Quae si vera disputavimus et Xenophontis locum aliquem inter-

1) Ex multis scriptorum locis haec res omnibus nota esse solet; cf. tamen e. c. Xenoph. Memorab. 1, 1, 10. Plut. Lyc. 25. Alcib. 17. Galen. de val. tuend. 2, 2.

2) Exempla afferit Petersenus I. I. p 38.

3) cf. Plat. Lys. 1. 1. Aristoph. Nubb. 178, ubi speciosissima mīfī videtur Hermanni conjectura ἐκ τῆς παλαίστρας θυμάτιον ὑφε- λέρο; scribere iubentis pro vulgato θυμάτιον; nam quid sibi vult θυμάτιον Soorati, cum coenam ille desideret? Sin vero hisce Petersenus vulgatam tueri et expedire conatur: 'Denken wir nun den Tisch in der Nähe des Ortes aufgestellt, wo die Kleider unter Decken aufbewahrt wurden, so konnte er durch eine geschickte Wendung mit dem Bratspiess eins herausholen', nimis hercle longe quaesita et contorta haec est explicatio, quam quae ullam veri speciem habeat.

4) Verum tamen ne id quidem sine maximis incommodis eo ipso loco, ubi certarent fieri potuisse appareat.

pretari posse mihi videor, qui saepius tentatus nemini dum bene cessit explanandus. Leguntur en, de Republ. Athen. II, 10: *Καὶ γυμνάσια καὶ λοντρὰ καὶ ἀποδυτήρια τοῖς μὲν πλουσίοις ἔστιν ἴδια ἐνίοις, ὁ δὲ δῆμος αὐτὸς αὐτῷ οἰκοδομεῖται ἴδιᾳ παλαίστρας πολλάς, ἀποδυτήρια, λοντρῶνας.* Qui enim palaestrae partibus hic locus est cum ipsius palaestrae vel gymnasii mentio sit facta? nonne molestissima haec est tautologia, eademque in uno bis obvia enunciato? Quam cum Xenophonti imputare nequeamus, ἀποδύτηρον hoc loco, licet palaestrae pars id sit commemorans alium necessario scriptor palaestrae vel gymnasii usum quendam spectat, quam qui indicetur vocibus *γυμνάσια* et *παλαίστρας*. Ac si eam ob rem apodyterii mentionem factam esse dicimus, quod ibi delectationis causa homines convenerint, omnia optime procedunt nec quidquam quod supervacaneum sit minusve perspicuum toti inest enunciato. Etenim hoc unusquisque videt, balnea, quae et ipsa plerumque gymnasio contenta erant, separatim nominari ea ratione, ut vocabulis *γυμνάσιον* et *παλαίστρας*, ut quibus exercendi notio insit, nihil nisi gymnasticus illorum aedificiorum usus indicetur. Voluit igitur hoc fere dicere Xenophon: plebs sibi ipsa aedificia extruit, ut et exerceri et lavari et recreari possit. Ut vero Petersenus hunc locum interpretari velit, fateor me non posse intellegere; qui enim dicere potest: 'Xenophon nennt dreierlei Gebäude', cum statim addat: 'und wechselt mit der Bezeichnung, indem er die Bäder erst *λοντρά*, dann *λοντρῶνες* nennt, und im ersten *Satz* *ἀποδυτήριον* für *παλαίστρα*, im zweiten für *γυμνάσιον* setzt'.? nonne igitur idem significat *ἀποδυτήριον*, quod et *παλαίστρα* et *γυμνάσιον*?

Iam si quaerimus, quaenam palaestrae Vitruvianae pars pro apodyterio sit habenda, solum ephebeum nobis se offert, cuius qui usus fuerit in ambiguo supra reliquimus. Itaque ea in re cum Peterseno mihi convenit, quod *ἀποδυτήριον* a Vitruvio *ἐφηβεῖον* appellatum esse ille dicit.

Pauciora quidem et de ephebeo et de apodyterio tradita sunt, quam ut hanc sententiam ad certorum argumentorum fidem ita exigere possimus, ut nulla relinquatur dubitatio. At nonnulla tamen adsunt, quae ut verisimilem illam commendare videantur. Primum enim ephebeo Vitruviane commodissime et qui exercituri et qui loturi essent, pro apodyterio uti poterant, quippe quod medium coryceum inter et conisterium balneumque obtinueret locum¹⁾. Deinde quod de ephebeo forma et ornatu praecipit Vitruvius: 'hoc autem est exedra amplissima cum sedibus', id optime convenit non solum ipsi apodyterii rationi et usui, sed etiam iis, quae de apodyterii forma apud Platonem habemus tradita vel potius indicata. Una restat difficultas in ipso nomine posita. Verumtamen hanc quoque tolli posse existimo. Videntur epheborum in plerisque Graecorum civitatibus collegia quaedam extitisse, quae sua haberent sacra, conventus, pompas, sollemnia. Haec autem, cum corporum exercitationibus ephebi potissimum operam darent plurimumque temporis in gymnasiis consumerent, consenteaneum est in gymnasiis peracta esse. Quam vero aliam gymnasi partem aptam huic usui fuisse dicemus nisi apodyterium? Hoc igitur cum ephebi maxime frequenter interdum totum occuparent, tanquam, ut ita dicam, pro domicilio haberent, fieri sane potuit ut alicubi apodyterium ephebei nomen acciperet, quod in illa urbe factum esse censendum est, unde Vitruvius suam gymnasii graeci hauserit cognitionem. Confiteor tamen mihi ipsi hanc explicationem non omni ex parte satisfacere, ut suspicio nascatur corruptae lectionis, quamquam nunc in promptu non est, quod probabiliter substituam.

Restat nunc, ut de elaeothesio quid statendum sit breviter tantum declaremus. Etenim, hoc ut statim elo-

1) Cf. Lucian. Hipp. 8, ubi simili ratione apodyterium collocari videtur eiusque laudari commoda utilitas.

quar, mihi non videtur elaeothesium inter eas palaestrae partes esse numerandum, de quibus agere supra mihi proposui, sed ad balneum quodammodo pertinere, quae et Schneideri Marinii Beckeri sententia est¹⁾. Minus enim recte plerique athletas illic volant ante certamina unctos esse. Quod apud Lucianum eodem loco fieri vides, ubi decertatur sint. Nec non si ille esset elaeothesii usus, alio id loco debebat collocari, nempe ita, ut cum coryceo et conisterio esset coniunctum; minime autem ephebeum liceret iuterponere²⁾. Accedit, quod alicui balnei cellae elaeothesii nomen fuisse videre licet e pariete illo in Thermis Titi reperto, quo balneum romanum pictum repreäsentatur³⁾ adscriptis singularum partium nominibus⁴⁾.

1) Marinius Vossium secutus 'elaeothecium' scribendum esse censet hunc in modum disputans: 'non ita facile ab ἔλαιον et ῥήγη olei apothecam componi posse arbitrör, sed potius latinum verbum ex usitato graeco ἔλαιοθήκη derivatum credere licet'.

2) In quo iam Dom. Aulisius offendit, de gymn. constr. in Sallengeri Thesaur. Ant. Rom. Tom. III p. 902: 'Haud turbat, quod Conisterium, in quod pulvis Palaestrius condebat, longe in altero Ephebei latere positum est; interseruntur enim Ephebeum et Coryceum. Ungi et pulvere conspergi coniunctae res sunt. Cur Cellae, quae his deinceps usibus destinatae sunt, loco distabant? Mihi omnino videntur verba Vitruvii luxata et debere Coryceum et Elaeothesium Cellas inter se commutare, ut Coryceum migret in sinistrum latus Ephebei Elaeothesium in dextrum; ita Conisterio haerebit'. Quia verborum transpositione omni Codd. fide prorsus destituta, facile carere possumus, elaeothesium balnei partibus adnumerantes.

3) Vid. eum ap. Becker, Gall. 3 p. 78, et in Gahl und Koner, Das Leben der Griechen und Römer nach antiken Bildwerken dargestellt Berl. 1860 II p. 130. Dubitatur sane, num vere antiquae sint eae inscriptiones, de qua re quid statuendum sit, non satis potui cognoscere. Ceterum id ipsum quod ibi 'elaeothesium' exhibetur obstare videtur, quominus cum Marinio 'elaeothecium' scribamus.

4) Becker Gall. III p. 66. Plinium quoque balnei elaeothesium commemorare dicit. Quod ubi factum sit — accursius enim locum

Itaque qui huius videatur usus fuisse, eis potius decorneadum relinquo, qui balnea sibi tractanda sumant cum praesertim de ea re non nisi reliquis quoque balnei partibus respectis recte iudicari queat.

Vides iam nihil amplius in palaestra Vitruviana desiderari, quod quidem ad certantium usum pertineat; habes ubi athletae vestes ponant, ubi ungantur, ubi pulvere aspergantur, ubi ἐν πηλῷ et ubi ἐν κόρει decertent. Et praecipuum gravissimumque argumentum, quo nostra de palaestrae partibus sententia confirmetur, eo ipso contineri arbitror, quod, si illam amplexus totam collustras Vitruvianam descriptionem, cur ea ut manca culpetur, nulla amplius causa extat. Quamquam enim ipse Vitruvius dicit 5, 11 ex.: 'Quae in moenibus necessaria videbantur esse, ut apte disponantur perscripti', nihilo secius nennulli deesse aliquid opinati sunt. Quae ratio quomodo omne iustum interpretationis fundamentum nobis surripiat, luculentio potest exemplo Peterseni gymnasium demonstrare, qui permultis prout placebat membris gymnasium Vitruvianum exornavit. Et de reliquis quidem pluribus disserere supersedeo, cum alia ei argumenta adhibita non sint, quam quod commode hoc illudve in palaestra locum habuisse videatur; quod vides quam promptum sit et expeditum argumentum, quo comprobentur, quaecunque scriptorum auctoritate nequeant comprobari. Quid vero? hocne est Vitruvium interpretari, an halucinari? Minime eequidem negare velim extitisse fortasse gymnasia, quae et illarum partium continerent nonnullas, ut quae summam praebere utilitatem viderentur ibi potissimum, ubi per-

indicare noluit — reperire non potui. At 'unctorium' habet Plin. Ep. II, 17. Quare puto Beckerum non id quidem dicere voluisse, Plinium elaeothesii nomine usum esse, sed potius, eam quoque balnei cellam a Plinio commemorari, unctorium scilicet ab eo appellatam, quae a Graecis elaeothesium vocaretur.

magnae hominum multititudini consulendum esset. Nam quis eredat, eadem omnia gymnasia forma et splendore fuisse? Prae aliis celebrata erant propter magnificentiam et amplitudinem suam Atheniensium gymnasia; at plus etiam spatii videtur illud occupasse, de quo agitur in inscriptione C. I. 2360. Vitruvii vero erat tralaticiam solitamque gymnasiorum formam atque institutionem ita tradere, ut nullum prorsus quod quidem necessarium esset membrum ei neglegeretur.

Id solum argumentando demonstrare Petersenus conatur medium palaestrae locum templum aliquod obtinuisse. Id autem ille nullo pacto effecisse mihi videtur. Nolo quidem urgere, quod huius templi ostium e Peterseni delineatione meridiem spectat, quamquam et in hac re levius ab illo tractata gravissima haeret offensio; possis enim fortasse aliter rem instituere. Sed si primo Aeneae Tact. 23 hoc affert testimonium: *οἱ δὲ καὶ ἔξωθεν προσάγεσθαι βουλόμενοι τοιοῦδε ἀπετίμουσι, προσείσαντές τι, ἢ ἐμτρήσαντες νεώρουν ἢ γυμνάσιον οἰερὸν πάνθημόν, ἢ δι' ὅπερ ἀνέξοδος γένοιτο πλήθους ἀνθρώπων καὶ οὐ τῶν τυχόντων.* eo vides nihil aliud effici posse quam gymnasia alicui deo fuisse. sacra quod tam notum est, ut non egeat probatione¹⁾. Alia deinde eorum locorum ratio est, qui ad Atheniensium gymnasia respiciunt. Ac Lucianus quidem (Anaeh. 7), solum Apollinis simulacrum commemorat, quod cur in templo positum fuisse credamus nulla ideonea causa repariri potest; multis enim artis statuariae operibus gymnasia fuisse exornata satis constat. Nec Paus. I, 30, 2 de templo sed de...ara Minervae loquitur; quae si de templo intellegi volebat Petersenus, in Academiae palaestra non tria sed quinque templa fuisse ex illo ipso loco colligere debebat, scilicet Promethei, Musarum, Mercurii, Minervae,

1) Rectissime tamen Orellius ἢ γυμνάσιον ἢ ιερόν legendum esse censem.

Herculis; accedit quod illud ἔνδον quid significet, plane latet et vix poterit explicari nisi plura aliunde de Academiae forma addiscemus. Verumtamen quin in Academia Lyceo Cynosarge Minervae Apollinis et Herculis templa fuerint non potest dubitari. Sed latius patebant haec nomina, ita ut non solum gymnasium sed totam regionem unumquodque comprehendenderet, ubi gymnasium erat aedificatum. Et haec quidem antiquissima illarum vocabulorum notio fuisse videtur, ut regiones significantur; inde postea eodem nominibus et gymnasia et deorum delubra, quae in iis regionibus erant extorta, appellabantur, quae vero tempa non gymnasiis nedum palaestris continebantur, sed prope gymnasia erant extorta. Et de Cynosarge quidem Stephan. Byzant. haec habet: Κυνόσαργες γυμνάσιον ἐν τῇ Ἀττικῇ καὶ δῆμος¹⁾, et Suid. Κυνόσαργες τόπος τις ἐστι παρ' Ἀθηναίοις καὶ ἵερὸν Ἡρακλέοντος. Livius vero 31, 24: Philippus signo receptui dato castra ad Cynosarges (templum Herculis gymnasiumque et lucus erat circumiectus) posuit. Quem postremum locum potissimum miror Petersenum suam in rem pro argumento attulisse, eum perspicue declaret, diversum fuisse gymnasium a delubro. Lycei vero eandem rationem fuisse inde colligas, quod et τὸ ἐν Λυκείῳ γυμνάσιον²⁾ et τὸ πρὸς Λυκείῳ γυμνάσιον³⁾ poterat dici. Denique in Academia templum prope gymnasium fuisse collocatum ostendit Schol. Soph. Oed. Col. 697: περὶ Ἀκαδημίαν ἐστιν ὁ τε τοῦ Καταιβάτου Διὸς βωμός, δὲ καὶ Μόριον καλοῦσι, τῶν ἐκεῖ μορίων παρὰ τὸ τῆς Ἀθηνᾶς ἱεροῦ ἰδρυμένων, collato Schol. Aristoph. Nubb. 1005: ἦν δὲ γυμνάσιον (scil. ἡ Ἀκαδημία), ἀπὸ Ἐκαδήμου τινὸς καταλειψαντος τὴν κτῆσιν ἑαυτοῦ πρὸς ἐπισκευὴν τοῦ τόπουν, περὶ αὐτὸν δὲ ἤσαν αἱ ὄντως ἱεραὶ ἐλαῖαι τῆς θεοῦ,

1) cf. Herod. V, 63. VI, 116.

2) Plut. Vit. X Or. p. 346.

3) Paus. I, 39, 16. cf. I, 19, 3

αἱ ναοῦται μορίαι; nam si oleae illae sacrae extra gymnasium erant collocatae, atque eaedem iuxta templum, fieri non potuit, ut templum intra gymnasium esset. Postremum veteres, ubi templa cum gymnasiis coniungerent, illa solitos esse prope gymnasia extruere in universum colligere licet ex eo, quod Vitruvius I, 7 dicit: Herculi, in quibus civitatibus non sunt gymnasia neque amphitheatra ad circum (scil. areae distribuantur); Hirtius (Geschichte der Baukunst 3, 286) Pantheon ad hunc locum conferre iubet ante Agrippae Thermas extrectum; eiusdem rei exempla ab ipsa Graecia sumpta habes ap. Paus. II, 4, 6, et IX, 11; 4.

Ubique autem templa gymnasiis fuisse adiuncta, nullo arguento vides posse demonstrari. Itaque eur in media Vitruvii palaestra templum aliquod collocatum faire fingamus, nulla adest causa; nec hac quidem ex parte quicquam obstat, quominus plenam et absolutam esse Vitruvii descriptionem censemus. Nobisque nunc eius descriptionis et vindicandae et explicandae finis est faciendus. Nec vero reliquiae illae veterum gymnasiorum adhuc in Asia minore repertae¹⁾ idoneae sunt, quae huius rei notitiam promoveant. Nam et nimis illae exiles sunt atque exiguae, et num vere ad gymnasia pertineant, ne constat quidem satis; ut harum pertractionem plane diversae et peculiaris disputationis esse facile appareat.

1) cf. Leake Journal of a tour in Asia minor p. 254 et 341; Antiquit. of Jonia II pl. 40 et 54. Minime autem ex tabulis Guhlii et Koneri libro 1. insertis de eis iudices, ubi ex editorum illae opinione restauratae conspiciuntur.

FERDINANDVS BVESGEN DE VITA SVA.

Natus sum Cubaे, oppidulo ad Rhenum sito, anno h. s. XL, *Ferdinando* et *Hermina* parentibus, quos adhuc inter vivos esse vehementer gaudeo. Fidei addictus sum evangelicae. Elementis litterarum a patre imbutus anno LIII gymnasium Wiesbadense adii, quod cum quinque per annos frequentassem, anno LVIII Bonnam me contuli philologiae me dediturus. Anno LIX Berolinum migravi mox eiusdem anni autumno Goettingam, unde anno LX Bonnam redii. Ac Scholas frequentavi virorum clarissimorum *Beerii*, *Brandisii*, *Dahlmanni*, *Iahnii*, *Loebellii*, *Monnardi*, *Plueckeri*, *Ritschelii*, *Radickii*, *Schopeni*, *Sybeli*, *Welckeri* Bonnēsium, *Boeckhii*, *Hauptii*, *Trendelenburgi* Berolinensium, *Curtii*, *Lotzii*, *Sauppii* Goettingensium. Praeterea *Schmidtii* V. Cl. comitate factum est, ut per sex menses societatis philologicae exercitationibus interessesem. Quibus viris omnibus pro eorum in me meritis gratias ago quam maximas.

Sententiae controversae.

- I. *A Pausania, VIII, 26, 1 antiquissimae formae gymnasium denotari censeo.*
 - II. *Errant, quicunque censem Vitruvianam descriptionem illustratam fuisse tabula, in qua gymnasium delineatum fuerit.*
 - III. *Antigonae versum 452 retinendum puto ita scriptum: οἱ τοὺς ἐν ἀνθρώποισιν ὥρισαν νόμους.*
 - IV. *Ibid. v. 519 recte habere puto Codd. scripturam τοὺς νόμους τούτοις ποθεῖ.*
 - V. *Hor. Carm. 1, 27 stropham secundam contra Perikampium defendo.*
 - VI. *Versus a Trimalchione apud Petronium cap. 34 et cap. 35 recitati eiusdem carminis particulae sunt, quod totum ita fuit compositum, ut binos hexametros singuli pentametri exciperent.*
 - VII. *Ibid. 82 scribendum puto:
nec bibit inter aquas nec poma nitentia carpit.*
 - VIII. *Graecis auctoribus tractandis plus studii et temporis, quam assolet in gymnasiis concedendum arbitror.*
-





